

Rectangula dividit : ita Quadratum per suarum Diamentrorum utrumvis in duo Triangula Æquicrura Rectangula : & Rhombus per Diametrum Angulorum obtusorum in Triangula vel Æquilatera vel Æquicrura secundæ speciei ; per Diametrum verò Angulorum Acutorum in Æquicrura Triangula primæ speciei : Rhomboides deniq; per Diametrum Obtusorum Angulorum in Inæquilatera Acutangula ; per Diametrum Acutorum Angulorum in Inæquilatera Obtusangula, dividitur. Hæc omnia ut Exemplis & Schematibus demōstrentur, quia facilia, nec opus est, nec per operarum, quibus hætenus usi sumus, iniquitatem in posterum etiam in magis necessarijs licebit.

Porro ex sectione Diametri oritur alia quoq;, eaq; secundaria Divisio Parallelogrammorum.

Dividitur enim ea vel bivariam, seu in partes æquales, vel inæquales.

Bivariam dividitur & Diameter & Parallelogrammum vel per aliam Diametrum vel per lineam quamcunq;.

Divisione per duas Diametros dividitur Parallelogrammum omne in quatuor Triangula, quæ quidem in Quadrato omnia sunt æqualia : in Parallelogrammis reliquis inæqualia ; ita tamen ut alternatim posita, seu quæ verticibus suis se mutuò feriunt, æquentur.

Linea Diametrum Parallelogrammi bisecans, si duobus Parallelogrammi lateribus Parallela est, dividet parallelogrammum totum in duo Triangula & duo Trapezia æqualia.

In priori Schemate secat GH linea ad DA & CB parallela
Diamete-